

## SACRA ROMANA ROTA

Nullitatis matrimonii ab exclusum bonum sacramenti

(Coram LUCIANO ANNE)

### A) PARISIEN

#### I.—SPECIES FACTI

1. D.nus Joannes Dupont, actor, natus die 2 januarii 1877, clam baptizatus, nullam ob patris in religione aversitatem religiosam recepit educationem. Anno 1902, in urbe algeriensi v. d. Mascara, Anna María González, partem conventam, obviam habuit atque, amore captus, ei mox matrimonium contrahendum proposuit.

Patre, quidem, obstante atque obiiciente futurum coniugium ob indolum diversitatem infelicem fore, cum ea matrimonium celebravit die 27 octobris eiusdem anni in ecclesia paroeciali praefatae civitatis. Ex quo coniugio tres filii nati sunt. Primo omnium gentium bello anno 1914 erupto, Joannes, stipendia merens, ab uxore exstitit separatus usque ad annum 1919. At, pace inter gentes conciliata, vitam conjugalem resumere detrectavit. Die 17 novembris 1920 divortii sententia contra eum lata est. Interim concubinarie, uti videtur, cum alia muliere conviverat, qua derelicta, anno 1932 civiliter se cum tertia junxit. Hac, demum, morbo exstincta, aliam, prius alii viro civiliter tantum, uti videtur, nuptam atque ab eodem separatam, nunc ducere intendens, die 16 februarii 1961, matrimonium suum nullitatis accusavit coram Tribunali Ecclesiastico Parisiensi ob exclusum bonum Sacramenti. Cum causa nullitatis dolosa, ex parte sui, minime demonstrata fuerit, obtinuit habitatem ad accusandum. Libello, ideoque admissio et causa rite instructa, prodiit die 1 iulii 1963 sententia actoris votis contraria. Appellatione ad N. S. T. rite interposita atque peracto instructionis supplemento, Nobis causa definienda est sub dubio sueta formula concordato; "*an constet de nullitate matrimonii, in casu*".

#### II.—IN JURE

2. Juris compertissimum est ex lege divina, per can. 1086, § 2 expressa, nullum esse matrimonium quod contrahitur cum exclusione boni sacramenti seu indissolubilitatis, absolute vel hypothetice, sive ea fit per conditionem vel pactum sive per positivum tantum voluntatis actum.

In multis regionibus atque in nonnullis civium coetibus sat late sparsa est doctrina matrimonii indissolubilitati contraria. Exinde, autem, minime

sequitur huius erroris sectatores, dum nuptias celebrant, ipsam indissolubilitatem e consensu matrimoniali necessario excludere, cum facile quiescere possint in erronea sua opinione, nullo modo positivo voluntatis actu, saltem virtuali, hanc essentialem matrimonii proprietatem e consensu matrimoniali explicite vel implicite excipientes. Etenim, de se, error non remanet nisi in intellectu nec necessario influxum actualiter vel virtualiter, exercet in voluntatem. At vero, interdum, non absque periculo causas matrimoniales abstracte et nimis theoretice considerandi, nimis aliquis commorari potest in distinctione, hinc, erroris menti contrahentis tantum inhaerentis et, illinc, intentionis sphaeram ingredientis voluntatis. Quidam enim logicus nexus adest inter cogitata et volita, quamvis nonnumquam cogitatio absque intentione positivo voluntatis actu elicitur manere potest. In unoquoque casu inspiciendum est utrum necne talis error, habitualem, tantum, seu generalem intentionem bono Sacramenti contrariam ordinarie generans, in casu, virtualement vel actualem excitaverit intentionem indissolubilitati adversam propter circumstantias huius casus particulares.

3. Hodiernis in temporibus sunt, qui erroneum placitum de liceitate divortii tam inveterate in mente retinent, ut matrimonium et eius indissolubilitatem ut conceptus inter se vere contradictorios existiment atque, juris naturae existentiam negantes, ipsum matrimonium concipiunt ut institutum juris mere positivi, juxta placita evolutionis sociologicae, per leges civiles sancita, ordinatum. Pro hisce hominibus difficile asseri potest adhuc validam esse generalem praesumptionem eos matrimonium intendere prout id a Deo Creatore est ordinatum, cum istiusmodi praesumptio facto certo et gravissimo elidatur in casu. At etiam hi homines, tali laicisata mente matrimonium contrahentes illud celebrare generatim intendunt prout id in societate in qua vivunt accipitur. At, in regionibus, in quibus vita socialis atque civilis, quamvis laicisata, saeculari tamen christiana cultura fundatur, matrimonium adhuc ut societas "ad vitam" concipitur, cui tantum accidentaliter ex positivo alterutrius vel utriusque contrahentis actu voluntatis gravem ob causam finis imponitur. Quisque, more suae gentis, hisce in regionibus, nuptias celebrans societatem permanentem inire intendit, nisi ipso momento celebrationis, positivo voluntatis actu hanc intentionem limitet circumscribatque, virtualiter actualiterve legem divortii *jam tunc* suam faciens. Jamvero, hodie, alias ac temporibus elapsis, de facto, in quibusdam nupturientibus hic error simul ac haec voluntas adest ita ut, in casibus raris, error, de quo in canone 1084, propter mutatas vitae et mentium condiciones, non amplius ipso facto generalem tantummodo intentionem indissolubilitati matrimonii contrariam, sed in uno alterove casu, veram exclusionem boni Sacramenti comprehendere potest: "...ex professione eiusmodi errorum praesumi potest voluntas contraria matrimonio; eoque gravior est praesumptio... quo tenacius error insidet in mente eius qui, non ignorans veram doctrinam de matrimonio, sed incredulus moribusque depravatus, eam pervicaciter irridet atque respuit" (S.R.R. Decis. 1947, t. XXXIX, dec. XXIX, c. Jullien, n. 2, pagg. 220-221,

cfr. una Mutinen., diei 6 martii 1958 c. Pasquazi). Fieri, itaque, interdum potest, "ut error ita penetret et attrahat personalitatem, uti dicitur, contrahentis, ut aliter ipse nolit quam cogitet, aliter non agat vel operetur, quam mente valutat" (una c. Felici, diei 17 decembris 1957, cfr. etiam una coram Fiore diei 16 junii 1962). Hae tamen praesumptiones, etiamsi graves, ut viam parent ad moralem de exclusa indissolubilitate certitudinem aliis concludentibus iudiciis compleri debent. "Judex autem... ne recto deducatur tramite, subtilissimo hoc in examine universas circumstantias perpendere debet uti mendosam educationem, sive religiosam sive civilem, indolem sensumque moralitatis, peculiarem socialiter sese gerendi modum, quo a communi agendi modo insignitur, causam matrimonii aliasque".

Longe plures acatholici, propter educationem et loci consuetudines placita indissolubilitati matrimonii contraria quidem foveant, sed quoad cetera matrimonii bona recte omnino opinantes, nuptias contrahendo de divortio vel, forte, nequidem cogitant vel vagum tantum indefinitumque propositum de divortio concipiunt in lege civili quiescentes, nisi circumstantiis coacti, vel occasione aut vera causa impellente, eiusmodi doctrinam erroneam proprio consensui matrimoniali applicent. Eiusmodi, enim, leges civiles non auferunt, pro acatholicis, possibilitatem eliciendi actum positivum voluntatis recurrendi ad divortium si casus ferat. Talis actus, propterea, legibus illis minime obstantibus, adhuc poni potest. Subiectum ipsum, in sui animi solitudine, concurrat vel minus ordo iudicis civilis, enutrire potest "certam complexionem peculiarium rationum, ob quas error theoreticus campum voluntatis efficaciter invasit" (cfr. S.R.R. Dec. 1951, t. XLIII, dec. XXXV, n. 6, coram Doheny, pag. 273, una diei 7 julii 1958 c. eodem Ponente, una diei 14 julii 1961, c. Fiore, in *Il Diritto Eccl.*, t. LXXIV, 1963, pagg. 21-22, una diei 10 februarii 1964 c. Bonet). Unde, pro acatholicis istis vel pro acatholice educatis, quaestio praecipua est in exquirendo utrum ante matrimonium occasio quaedam vel causa intervenerit eliciendi verum actum voluntatis positivum, saltem virtualement et implicitum, de divortio, certis in adiunctis, instaurando.

Acatholicorum seu acatholice educatorum dicta de facultate ad divortium recurrendi, tempore matrimonii imminentis vel sponsalium prolata, interpretanda sunt inspectis eorum forma mentis conditioneque indolis necnon habitu forsitan erroneo immaturove, erga ipsum matrimonium, perpensis, denique, omnibus matrimonii circumstantiis. Exinde facilius definiri potest utrum contrahens talibus locutionibus significaverit veram intentionem actualem virtualementve excludendi indissolubilitatem ex proprio suo consensu matrimoniali an tantum meram erronei placiti enuntiationem. In dubio, ad normam can. 1014, pro valore matrimonii standum est.

### III.—IN FACTO

4. Haud dissimulanda est maxima difficultas, in casu, assumptum actoris demonstrandi ex actis et probatis. Etenim, agitur de matrimonio inito decursu anni 1902, id est sexaginta fere anno ante causae instructionem. Haud fa-

cile admitti potest ipsum actorem post tot annos ita sedulo intentionem referre posse quacum nuptias celebravit, ut indubie asserere possit se non tantum in lege civili quievisse sed actu positivo voluntatis ipsam indissolubilitatem ex suo matrimoniali consensu exclusisse. Experientia, tamen, constat quod quaedam dicta vel facta propria atque aliena, etiam cum peculiaribus eorum circumstantiis, ita mentem percellere possunt, ut per totam vitam fideliter memoria serventur, nisi ipsa facultas memorandi ob organicum praesertim defectum debilitetur. Asserta itaque, indissolubilitatis exclusio non a limine propter temporis permagnum recessum, in casu, reiici potest.

Actor contendit se absque ulla religione educatum esse proindeque de matrimonio habuisse conceptum exclusive e juris civilis normis haustum: "A ce moment, n'avait aucune notion du mariage religieux et je n'avais aucune envie de me marier à l'Eglise. Passer par l'Eglise était pour moi une formalité... J'estimais que le mariage peut être dissous par un décret du juge civil..." (9 ad 5). "Ainsi parvenu à l'âge adulte sans la foi, et n'ayant pour me guider que la morale laïque, je ne me sentis d'autres restraints que celles de l'honneur et des lois civiles. Et ce fut *dans cet esprit* que j'envisageais l'acte du mariage lorsque je résolus d'épouser M.elle Marie Pérez" (ep. actoris pag. 36, in fine); "on m'a appris que dans mon pays, suivant la loi, seul comptait le mariage civil" (suppl. instruct., pag. 6 ad 6, ex off.).

Adiungit, autem, facultatem divertendi a lege civili agnitam, positivo voluntatis actu, fecisse suam, occasione iurgii cum patre matrimonium reprobante: "...mon père s'opposait à ce mariage. Il me disait que celle que je voulais épouser était une personne frivole, qu'elle n'avait aucun goût intellectuel et que, fatalement, il y aurait entre nous, disait-il, des désaccords. Je lui répondais invariablement...: "si nous ne nous entendons pas, nous divorcerons" (pag. 9 ad 5); "après des fiançailles, je n'ai rien changé à mes idées; j'étais toujours *résolu* à recourir au divorce en cas de désaccord" (pag. 9, ad 6; cfr. etiam epistola actoris, pag. 37, in initio et suppl. instr. pagg. 3-4 ad 2).

At vero, componendo has actoris declarationes ultimas cum aliis eiusdem assertis, suspicio exoritur modificatae rerum praeteritarum memoriae sub influxu circumstantiarum et desiderii alterum contrahendi matrimonium, quatenus possibile sit, coram Ecclesia. At, proh dolor, actor octoginta aetatis annorum longe excedens, interim, matrimonium tantum civile contraxit, suam ad fidem catholicam conversionem haud leviter maculans. Etenim, in epistola diei 9 junii 1960 ad Em.mum Cardinalem Parisiensem actor tantum de erronea sua opinione agit, quasi subaudiens se, in lege civili quiescentem, indissolubilitatem matrimonii positivo voluntatis actu haud exclusisse: "*C'est dans ces dispositions négatives d'esprit* et de coeur au regard de Dieu et de son Eglise que je me trouvais lorsque le 27 octobre 1902, j'ai contracté mariage avec M.elle Anne Marie González... J'ai approché les autels... *sans avoir conscience* des obligations chrétiennes du mariage et de sa sainteté... J'ai ainsi dans ma légèreté, et mon ignorance, profané un sacrement et j'en ai été absent" (pagg. 5-6). Quam confessionem iterat in epistola diei 16 de-

cembris 1962 ad Officiale Parisiensem: "...je ne me sentis d'autres restraints que celles de l'honneur et des lois civiles. Et ce fut dans cet esprit que j'envisageais l'acte du mariage..." (pag. 36 in fine). In eodem sensu deponit D.na Delfaux ex audicis tempore non suspecto: "Plus tard —ait— quand il a voulu se convertir, cette question de situation matrimoniale le tourmentait; et c'est en raison de sa situation fausse vis-à-vis de l'Eglise, qu'il a introduit son présent procès. Il estimait que, *n'ayant jamais cru* que cette union avait le caractère d'un véritable mariage indissoluble, elle se trouvait sans valeur et qu'il voulait s'en sentir libéré" (pagg. 40-41 ad 2). Nemo est qui non videat hisce propriis declarationibus necnon depositione D.nae Delfaux assumptum actoris de exclusione indissolubilitatis debilitari.

Admittendum tamen est quod "si leges civiles dicantur auferre occasionem (saltem unam) positivi actus voluntatis, nec quisquam obliviscatur quod eisdem illius positivi actus magnam temptationem constituere posse, uti fit quoties subiectum, plus minus anceps, illas leges suas facit..." (una *Ossorien.* diei 14 julii 1961, c. Fiore, in "Dir. Eccl." 1963, t. LXXIV, pag. 22). Hic autem positivus voluntatis actus, excludens bonum sacramenti, concludenter probandus est testibus fide dignis necnon circumstantiis matrimonii antecedentibus et consequentibus.

Nullus autem datur testis qui ex directe auditis deponit atque circumstantias ita adamussim refert ut concludenter comprobet assertam simulationem.

D.na Margarita Dupont deponit: "Le père reprochait ce mariage, en disant que son fils ne s'entendrait pas avec Eugénie Pérez, à quoi le fils a répondu: 'mais si nous ne nous entendons pas, nous divorcerons'... Je n'irais pas jusqu'au dire qu'il voulait faire un mariage à l'essai" (pag. 23 ad 9). At testis non refert quandonam et a quo id didicerit. Cum fratri actoris nupserit anno 1914, probable est testem relatum colloquium a marito suo D.no Renato Dupont non ante annum 1914 audivisse. Nullam insuper adiungit circumstantiam, ex qua patet actorem hisce verbis verum actum voluntatis positivum contra bonum sacramenti significasse. Immo contra hanc colloquii interpretationem militat declaratio scripta ipsius D.ni Renati Dupont: "mon frère Jean... n'avait pas été instruit de la religion catholique. Il en ignorait le dogme et lorsqu'il se conformait éventuellement à sa pratique, c'était, me semble-t-il, sans conviction et simplement pour suivre les usages. C'est dans cet esprit qu'il a accepté de se marier à l'Eglise... *sans penser et réfléchir* qu'il s'engageait dans une union indissoluble. A notre père qui faisait opposition à cette union... mon frère répondait que si l'avenir lui donnait raison, il divorcerait" (pagg. 46-47). Nec tandem Renatus Dupont testis directus est huius colloquii, cum tempore matrimonii extra domum paternam versaretur: "Je n'ai pas assisté (au mariage), ait, car entre mon père et moi il y a eu des dissensions et je n'allais pas souvent chez mon père" (pag. 25 ad 8). "J'ai été peu au courant de la préparation du mariage" (pag. 25 ad 5).

Cum haud diu ante annum 1914 graves inter coniuges exortae sint difficultates propter actoris, uti videtur, infidelitatem (pars conventa, pag. 18 ad

13), praesumi potest Renatum Dupont, hac occasione, i.e. tempore jam spectro, a fratre suo relationem colloquii audivisse.

Actorem hisce verbis firmam intentionem legem divortii quoad matrimonium contrahendum faciendi suam haud enuntiasse sed tantum in ea quiescisse innuitur depositione D. nae Delfaux dicentis: "Le colonel m'a d'ailleurs raconté qu'il avait eu, au moment où le mariage se décidait une discussion assez orageuse avec son père qui désapprouvait le mariage... Le père lui a dit: "Mais, alors, que feras-tu si tu ne t'accordes pas avec elle"? Le colonel a répondu, *avec la légèreté du jeune homme et l'insouciance de l'incroyant*: "Si ça ne marche pas, je divorcerai" (pag. 41 ad 3). Actor, itaque, anno 1956, hoc cum parte colloquium referens, minime hisce verbis significasse videtur se veram intentionem divertendi elucuisse, sed potius animadvertisse facultatem divertendi sibi a lege concessam sibi praesto esse.

Nec tandem, ex actis et probatis elucet adfuisse complexionem peculiarium rationum ob quas error theoreticus campum voluntatis efficaciter invasit. Actor, enim, ardenti amore captus erat erga puellam nec probatur eum vere dubitasse de felicitate futuri coniugii: "Nous étions épris l'un de l'autre", ait actor (pag. 8 ad 4), "étais jeune, j'avais été séduit par la beauté physique de M.elle González... et je voulais l'épouser" (suppl. instr. pag. 3 ad 2). Quod confirmatur a Magdalena Dupont: "Il a eu le grand coup d'amour pour la jeune fille qu'il a épousée" (pagg. 26-27 ad 4). Actor tantum in altera depositione de aliquo dubio de futura vitae coniugalis felicitate loquitur: "...dans le fond de moi-même, je pensais qu'il avait raison et que je ne pouvais pas être heureux avec M.elle González..." (suppl. instr., pag. 4 ad 2). Sed hoc a nullo teste comprobatur nec probari potest, cum nullus amplius testis inveniatur qui de scientia directa hac de re deponere potest.

Sententia: NEGATIVE

16 Februarii 1965.

## B) S. ANDREAE ET EDIMBURGEN

### I.—SPECIES FACTI

1. Currente anno 1933, Philipus Mayer, acatholicus, vigesimum septimum annum aetatis suae agens, obviam habuit Mariam Smith, pariter acatholicam, cum qua amicitiam colere incepit, quae, post tres circiter annos, in commercium sponsalium mutata est. Die 3 septembris 1938 nuptiae in Ecclesia v. d. "Reid Memorial", Edimburgi, celebratae sunt. Coniugium, autem, mox habuit exitum infelicem.

Vir, stipendia merens, jam currente anno 1942, mulieri proposuit ut diverterent. At, tantum anno 1946, sententia divortii, muliere petente, ex capite derelictionis a marito perpetratae, edita est.

Vir, postea ad fidem catholicam conversus et puellam catholicam uxorem ducere desiderans, matrimonium suum nullitatis accusavit coram Tribunali ecclesiastico Edimburgensi, die 8 decembris 1953, ex capite exclusionis boni

sacramenti. Promotor Justitiae denuntiationem excepit et causam nullitatis matrimonii promovit.

Die 23 januarii 1965, Iudices Edimburgenses causam definierunt edicentes non constare, in casu, de nullitate matrimonii.

Causa ad N. S. T., in gradu appellationis, delata, patronus ex officio longum tempus trivit ut probationes complerentur, sed frustra. Tandem aliquando, ideo, causa Nobis definienda est, in altero iurisdictionis gradu, sub dubio sueta formula concordato: *an constet de nullitate matrimonii, in casu.*

## II.—IN IURE

2. “Si utraque vel alterutra pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, aut omne ius ad conjugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit” (can. 1086, § 2).

“Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas et indissolubilitas, quae in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti” (can. 1013, § 2).

Intentio, itaque, bono sacramenti seu indissolubilitati matrimonii contraria in ipsum matrimoniale consensum virtualiter saltem ingredi debet, adeo ut simulans revera positivo voluntatis actu se obligare intendit non nisi vinculo rescindibili.

Talis intentio non scaturat ex mera opinione erronea de matrimonii essentiali rescindibilitate, cum error de se in sphaera intellectus maneat, nec sufficit generica voluntas ineundi matrimonium tantum rescindibile, cum ista sit intentio mere habitualis.

Requiruntur, autem, pro hominibus erroneo de matrimonii rescindibilitate cogitantibus, circumstantiae quae eos cogunt vel saltem presse inducunt ad gressum faciendum e sphaera intellectus ad campum voluntatis, quod attinet ad vinculi matrimonialis continuationem, libertatis in coniugio infelici recuperandi causa.

Huius gressus testis infallibilis est Deus. Iudices ceterique homines definire possunt quatenus fuerit vera nupturientis voluntas, tum perpendentes eius confessiones sive judiciales sive extrajudiciales a testibus fide dignis relatas, tum considerantes facta, quae dictis loquentiora sunt, omnesque circumstantias quae ad animum eius revelandum adiuvare possunt.

In hac inquisitione facienda pharus est praesumptio jurisprudentiae, juxta quam homines existimantur matrimonium contrahere velle prout id a Deo creante est institutum. Haec, autem, praesumptio non semper aequali vi invocari potest. Maxime valet pro iis, qui, erronee quidem de matrimonii rescindibilitate cogitantes ob eorum acatholicam educationem vel ob locorum consuetudinem, sana, tamen, principia de conjugalibus obligationibus deque eminentissima matrimonii natura colunt. At, sunt etiam homines qui matrimonium unice accipiunt uti “institutum” juris mere positivi iuxta leges placitaeque evolutionis sociologicae sese explicans variamque figuram juxta cul-

turarum progressum assumens, solo jure civili ordinandum. Pro hisce supra-relata praesumptio haud est paris validitatis ac pro hominibus qui sanis moralitatis principia ducuntur. Quo altius pervicaces errores mentem invadunt, eo debilior apparet praesumptio de praevalenti voluntate matrimonium contrahendi iuxta beneplacita Dei et juris naturae atque eo facilius logicus nexus, qui existit inter cogitata de liceitate divortii et voluntatem iuxta eandem mentem matrimonium ineundi, ipsum obiectum consensus matrimonialis circumscribet. Attamen, etiam in hisce casibus, requiritur *actus positivus voluntatis matrimonium ineundi nonnisi rescindibile, ex actis probatus*. Sed, jam docuit cl. Jullien in una diei 2 aprilis 1947: "...ex professione eiusmodi errorum praesumi potest voluntas contraria matrimonio; eoque gravior est praesumptio, ...*que tenacius error insidet in mente* eius qui, non ignorans veram doctrinam de matrimonio, sed incredulus moribusque depravatus, eam pervicaciter irridel atque respuit" (Decis. S.R.Rotae, 1947, t. XXXIX, dec. XXIX, c. Jullien, n. 2, pagg. 220-221). Eadem doctrina recentissime resumitur in una diei 29 novembris 1965 c. Pinna animadvertente "eos qui talia placita erronea favent, *iisdem tenaciter adhaerent*, veluti rebelles facti sunt erga sana principia quae bene noverunt, *facili gressu, si causa subsit etiam non gravissima*, transire ad actum positivum voluntatis obiciendum". Jam in una diei 4 julii 1936, cl. Heard docebat quod pro iis qui doctrinam divortii adhaerent, "necesse est ut adsit aliqua causa, *seu potius occasio, quae talem actum provocet*" (Decis. S.R.Rotae, 1936, t. XXVIII, dec. XLVII, n. 2, pag. 445). Immo, cl. Felici, in una diei 17 decembris 1957, scribit: "Fieri tamen potest ut error ita penetret et attrahat personalitatem, ut dicitur, contrahentis, ut aliter ipse nolit quam cogitet, aliter non agat vel operetur, quam mente volutet. In hoc casu error dici potest inducere nullitatem coniugii, non tam in seipso quam potius *propter voluntatem per seipsum vitiatam*. Haec nihilo-minus positiva voluntas non potest praesumi, sed probanda est validis argumentis rationibusque" (Decis. S.R.Rotae, 1957, t. XLIX, dec. diei 17 dec. n. 3, pag. 844).

Juvat, hisce in casibus, oculos latius circumferre et praeter considerationem confessionum extrajudicialium, indagare de educatione, de ambientibus circumstantiis deque aliis erroribus quos isti homines colunt in campis cum matrimonio aliquo modo connexis, ut integra definiri possit eorum forma mentis. Ajciantur oportet eae matrimonii circumstantiae quae calculum adjicere possint, quo perveniatur ad certitudinem moralem de actu voluntatis matrimonium ineundi nonnisi rescindibilem (cfr. una diei 16 julii 1965 c. Bejan, n. 6).

Fundamentalis huius simulationis causa est ipse pervicax error in mente nupturientis funditus insitus (cfr. una diei 10 junii 1967 c. Ewers, n. 3). Circumstantiae matrimoniales, vero, sunt plerumque causae secundi ordinis seu occasiones quae faciunt ut ex intentione habituali gressus fiat ad intentionem virtuales vel actuales, nisi ipse acer animus quo error propugnantur jam sufficiat ad gressum e campo intellectus ad campum voluntatis provocandum.



## III.—IN FACTO

3. *De credibilitate actoris et testium*: Ad definiendum an constet necne de nullitate matrimonii, in casu, habentur, praeter confessionem iudicalem actoris, paucorum omnino testium declarationes. Maxime, itaque, interest eorum credibilitatem dignoscere.

Valde laudatur credibilitas actoris. "I non dubiterei mai della sua veracità, ait d.nus Thoms, io credo che egli direbbe la verità sotto giuramento anche a suo proprio svantaggio" (15/1). Concinit testimonium d.ni Beclaet dicentis: "Immaginerei che egli direbbe sempre la verità sia a proprio vantaggio che a proprio svantaggio" (17/1). Rev.dus d.nus Beel idem fert iudicium statuens: "...io direi che sotto giuramento egli direbbe la verità anche a suo proprio svantaggio" (20/1) adiungens: "io direi che egli da l'impresione di essere umile riguardo agli ordini della Chiesa" (21/7 ex off. I; cfr. etiam d.na Scott, 20/7 ex off. I). Nec, in hisce perpendendis testimoniis, praetereatur mos loquendi Anglorum et praesertim Scotorum prudens, quo frequentissime utuntur verbis "credo", "opinor", aliisque similibus ad significandam opinionem *de qua certi sunt*.

Pariter testium sinceritas comprobatur modo quo deponunt, in pluribus propriam ignorantiam fatentes atque tantum loquentes de iis rebus quas scientia directa didicerunt et fideli memoria retinent (cfr. Thoms, 16/4, 16/6, 16/7; Beclaet, 17/3, 17/4, 17/6; Logan, pag. 22; Barker, 25/1 et ss.; Ben, 29/3, 30/6). Ideoque, iis, quae actor scripsit memoriam renovandi causa, uti legi potest in epistola eiusdem ad D.num Ben (Summ., pag. 33 ss.), minime usi sunt testes ad deponendum causae favendae gratia, sed tantum quia ea fideliter memoria repetierunt, ut distincte patet ex depositione eiusdem d.ni Ben (29/3, cfr. etiam epistola eiusdem, pag. 33), necnon ex depositione d.ni Bayle (16/8).

4. *De merito causae*: Actor humiliter confitetur se tempore matrimonii invidiam sanam Ecclesiae doctrinam de matrimonii indissolubilitate deque coniugii usu coniugalibusque obligationibus despexisse atque talibus erroneis ideis proprium matrimonium contrahendum accommodasse. "Io prendevo, ait, tutto questo come parte della stupida concezione cattolica, in quel tempo. Quando esprimevo queste vedute, le presentavo come la mia propria veduta di quello che mi sarebbe piaciuto fare riguardo al mio proprio matrimonio. Tutta quanta la mia filosofia del matrimonio era applicata a me stesso" (8/5). Hanc confessionem iudicalem non esse meram interpretationem factorum praeteritorum pedetentim elaboratam, vi desiderii novum ineundi matrimonium cum puella catholica, patet ex depositionibus testium et ex circumstantiis matrimonium antecedentibus.

Re vera, actorem cum hac nefaria intentione ad nuptias accessisse confirmat d.nus Thoms. Hic testis ait: "Io lo conobbi dopo il suo fidanzamento molto intimamente" et adiungit actorem de futuro matrimonio loquentem

proclamasse: “che se non riusciva bene, avrebbe ottenuto un divorzio. Io direi che *questa fosse la sua piena intenzione*. Io ero molto intimo con lui in quel tempo” (16/3). D.nus Jacobus Logan, ab actore ut testis inductus (cfr. 14/21) at non excussus, probabiliter quia ex vivis interim discessit, in declaratione ante causae instructionem conscripta, idem confirmat asserens: “egli spiegava che nonostante la cerimonia matrimoniale, qualora ci fosse una incompatibilità nel suo matrimonio, sarebbe stata iniziata la causa di divorzio” (pag. 37).

Profecto, similia verba alius testis, d.nus Crashaw, non amplius recordat, immo opinatur quod ea memoria servavisset, si dicta fuissent: “Onestamente, ait, non riesco a ricordare se egli riferisse le sue vedute a questo particolare matrimonio. Se lo avesse fatto... ritengo che me ne ricorderei, perchè la cosa mi avrebbe disturbato molto considerevolmente, perchè io gli feci da paraninfo...” (29-30/4). Animadvertatur, autem, in hac depositione, d.ni Ben tractari potius de *matrimonio ad experimentum ineundo* —non de simplici esclusione boni sacramenti—, uti erui videtur ex ipsa quaestione collata cum responsi ad quaestionem praecedentem parte extrema, in qua legitur: “Ma non riesco a ricordare che fosse sua opinione... che ci dovesse essere prima una cerimonia legale di matrimonio, poi un periodo sperimentale e, se le parti scoprono di non essere fatte l'una per l'altra, una separazione anche dopo la cerimonia legale” (21/2).

Ceteroquin idem testis, in epistola ad iudicem instructorem post vadium conscripta, declarat: “Che egli mi abbia espresso la propria intenzione di sciogliere il suo matrimonio nelle occasioni che lui menziona è *possibilissimo*, però io non ne ho ora nessuna reminiscenza” (pag. 33).

Calculus, tandem, adjicit depositio d.nae Scott, testis religiosissima, quam, uti videtur, actor uxorem sibi sumere intendit, si liber evadit (cfr. 12-13/7). Haec testis, *in uno ex prioribus cum viro occursibus*, eum audivit confitentem se matrimonium iniisse cum intentione divertendi si coniugium infelix evaderet: “Io sono perfettamente sicura, ait testis, da quello che egli disse, che lui intendeva rompere il suo proprio matrimonio, se esso non riusciva bene per loro...; lui certamente dava ad intendere che lui non avrebbe contratto affatto il matrimonio se gli fosse stata negata la possibilità di romperlo. Questo egli lo disse *durante i primi due o tre mesi* dopo che io lo ebbi conosciuto” (19/3). Primi occursus inter testem et actorem locum habuerunt currente anno 1952, atque certo ante virum conversionem et eius intentionem instituendi causam nullitatis matrimonii sui. Hoc patet ex collatis declarationibus actoris ad quaestiones 17, 18 et 20: viam ad fidem catholicam ei aperuit d.na Scott (12-13/17); haec eum adduxit ad Rev. D.num Roper, qui ei instructiones in fide catholica tradidit (ib.); die 8 decembris 1953 in gremio Ecclesiae receptus est (13/18). Quamvis jam ante conversionem de novo ineundo matrimonio cogitaverat (13/19), viam ad statum liberum obtinendum adhuc ignoraverat: “Mi recai da Mons. Breen, mio parroco —ait actor—, e gli dissi che ero coniugato, divorziato ed ansioso di risposarmi e *gli chiesi se ci fosse alcun modo per raggiungere lo scopo*.”

*Questo fu poco dopo che ero stato ammesso nella Chiesa*" (13/20). Adscriptionis, autem, dies in (8 maii 1951) declaratione d.ni Thoms (Summ., pag. 35), mendum est, loco 8 maii 1954, uti patet ex diebus adscriptionis aliorum documentorum (Summ., pagg. 33, 37) et ex chronologia conversionis ipsius actoris supra tradita. Confessio, itaque, viri extrajudicialis coram d.na Scott existimanda est tempore nondum suspecto facta.

Ut confessio judicialis viri eiusque confessiones extrajudiciales a testibus relatae rite pensentur, componendae sunt cum particulari forma mentis simulantibus, quae praecipua est causa simulandi, immo quae *ita per se ipsum est vitiosa*, in casu, ut quasi necessario inducat nullitatem matrimonii. Praeterendum non est aliquando "rationem ultimam ac veluti radicem cuiuscumque simulationis esse hominis malitiam, quique ex... subiectiva necessitate vulnus infligere vult rectae connubii ordinationi substantiali, atque negotium aliud intendit ac Deus naturae totius Creator statuit matrimoniale institutum" (una diei 10 iunii 1967, c. Ewers, n. 3).

Actor, tempore nuptiarum, erat vir omnino areligiosus, doctrinis ethicis positivismi tenaciter adhaerens et sana de re matrimoniali principia catholica funditus despiciens, qui sententiam iudicis Lindsay de convictu uxoreo ad experimentum ineundo acriter propugnavit. Figuram actoris concisis verbis describens, rev.dus d.nus Cristie declarat: "lui era il *tipo di studente universitario agnostico che disprezzava* la tradizione della dottrina cristiana sul matrimonio" (21/8). Hoc iudicium plane concinit cum descriptione quam tradit d.na Ines Logan de ideis erroneis quas, tunc temporis, colebant alumni Studiorum Universitatis Edimburgensis. "Io conobbi, ait haec testis, Mayer come studente 25 anni fa... Al tempo in cui eravamo studenti avevamo tutti idee strane (bizzarre) riguardo al matrimonio, alla politica, alla religione e ad ogni altra cosa. Parlavamo molto di tutto e sdottoreggiavamo su molti problemi..." (22/in med.).

In specie, actor tenax erat fautor doctrinae de nupturientium convictu uxoreo ad experimentum. "Io patrocinavo, confitetur, l'idea che la gente dovesse avere un periodo sperimentale di convivenza per un certo tempo prima dello effettivo matrimonio" (7/5). "Diceva, asserit d.nus Thoms, condiscipulus eius, di non aver mai potuto capire come persone potessero sposarsi senza conoscersi l'un l'altro abbastanza bene e perlava di matrimoni sperimentali... Effettivamente doveva esserci una convivenza per qualche tempo prima di tutto senza matrimonio allo scopo di conoscersi l'un l'altro e vedere se la loro convivenza sarebbe riuscita bene" (16/2). Idem affirmat d.nus Ben Ben: "...riesco, con ragionevole certezza, ricordarlo esprimere l'idea che ci sarebbe dovuto essere qualche forma di matrimonio sperimentale sotto forma di compagnia" (29/2).

Nec ista erat sententia quaedam juvenili insolentia proclamata, postea subito evanescens: "*Ci furono discussioni*, pergit d.nus Brian Bayne in sua depositione, in seguito alle quali egli non cambiò idea" (16/2). Et explicite adiungit, quod attinet ad tempus sponsalium: "Egli non lasciò la cosa in ciò, ma disse che TENEVA TUTTORA ALLE PROPRIE VEDUTE" (16/3).

Actoris indolem describens, autumat: "Egli non cambierebbe facilmente la propria mente. Ha una mentalità molto singolare... Una volta avviata una cosa, tirava avanti *fino in fondo*" (16/8). Idem iudicium enuntiat alter condiscipulus Ben, in Australia coram iudice instructore deponens: "Egli aderiva *ostinatamente* a questa opinione. Non si riusciva a dissuaderlo. Per quanto io sappia, **EGLI PERSISTEVA NELLE MEDESIME IN QUEL TEMPO**. Riesco a ricordare queste cose perchè egli le menzionava non soltanto a me, ma anche ad altri e le discussioni erano alquanto veementi" (29/2). Si huius testis depositio in sua integritate legitur, patet ne minimam suspicionem collusionis in istum cadere posse.

Nec, quod ad hanc tantum sententiam attinet, actor graviter erravit sed etiam —*uti logice ex priore errore profluit*—, pervicacem fovebat opinionem quod attinet ipsam naturam matrimonii. "Le mie vedute allora erano, ait, che il matrimonio era un contratto tra un uomo ed una donna che rendeva lecita la loro convivenza agli occhi del pubblico, ma che poteva essere spezzato ed avrebbe dovuto essere spezzato qualora fosse divenuto molesto all'una o all'altra delle parti" (7/5). Plane concinit depositio condiscipuli eius, d.ni Hendry dicentis: "...Egli aveva questa concezione del matrimonio che se capitava la consorte giusta tutto andava bene, altrimenti lui avrebbe rotto l'unione con lei. Egli era assolutamente *fermo* al riguardo" (17/2). Rev.d.nus Beel de colloquiis cum actore referens, declarat: "Egli disse che lui aveva una *concezione francamente pagana* del matrimonio e che *divulgava* questa concezione tra i propri coetanei all'Università. Egli aveva vedute di un uomo *senza idee cristiane*. Conveniente se c'era affiatamento; lasciarli separare se volevano" (21/2).

Vix fieri potest quin error, ob diuturnas disputationes vivide in mente retentus *semperque virtualiter praesens*, non influat in ipsam voluntatem, si eodem fere tempore matrimonium initur. Qui doctrinam catholicam de vinculi coniugali perpetuitate admittere tenaciter detrectat hancque doctrinam iterum atque iterum aperte impugnat atque deridet - veluti erga haec principia rebellis factus (cfr. una diei 29 novembris 1965, c. Pinna), facile, in contrahendo matrimonio, propriam intentionem prava sua sententia informabit, matrimonium nonnisi rescindibile actu voluntatis positivo, saltem virtuali, intendens (cfr. una diei 12 novembris 1958, c. Lamas; una diei 5 novembris 1958, c. eodem; una diei 16 iulii 1965, n. 4, coram Bejan). Id actorem re vera fecisse confirmatur confessione eius iudiciali necnon confessionibus extrajudicialibus supra relatis.

Nec objiciatur actorem suam sententiam de convictu uxoreo ad modum experimenti ante nuptiarum celebrationem instaurando nec coram sponsa explicasse nec cum ea in praxim deduxisse (actor, 9/9). Etenim, non semel in causis nullitatis matrimonii occurrit virum coram sponsam honestam intentionem suam pervicacem dissimulasse, ne eam offenderet vel perderet. In casu, ut patet ex depositione d.nae Scott (19/3), sponsa in classe numerabatur civium qui observantiam usum traditionis christianae omnino urgebant. Hisce obstantibus, actor sententiam non quidem abdicavit suam sed eam

circumstantiis accommodavit ipsum matrimonium ad experimentum celebrans, ut coram amicis eadem objicientibus explicite declaravit (cfr. actor, 9/10; epist. ad d.num Ben Summ., pagg. 34-35; Thoms, 16/3 et 16/8; declaratio scripta d.ni Logan Jacobi, Summ., pag. 37).

Nex praetereatur virum contendere se, instantibus nuptiis, dubitavisse de felicitate futuri coniugii: "Qualche tempo prima del nostro matrimonio, io avevo incominciato a dubitare se il mio affetto per lei fosse tanto forte quanto ritenevo dovesse essere" (14/23).

Sententia: AFFIRMATIVE

19 - Junii 1968